



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLI. Alexandri Papae III. Ad Henricvm Angliae Regem. Eiusdem  
argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

EPISTOLA XLI.  
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD HENRICVM ANGLIÆ REGEM.

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**OGNITO ex literis venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, quod ei, omni turbatione & rancore deposito, gratiam & amorem tuum restituissem, tanto lætitiâ & gaudium concepimus, quanto id Deo gratum & magis acceptum existere, & tibi amplius honorificum, & tuæ consideramus fructuosum saluti. Tanta enim eundem archiepiscopum religione, prudentia, & honestate, & fidei virtute præminere cognoscimus, quod ipsum tibi & regno tuo fidelem & deuotum existere, honori & incremento tuo pro viribus & posse & animo se intendere, & pro augmento gloriæ, & exaltationis tuæ fideliter & solícite vigilare non dubitamus. Ceterum, quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; & licet idem archiepiscopus pro patientia ac dilectione, quam erga te habet, hoc facere subitescat, nos tamen, qui salutem tuam summopere cupimus, id minime reticere debemus, nec tuam decet magnificentiam, quem Dominus ita magnum & potentem constituit, iura & bona Cantuariensis ecclesiæ retinere: regiæ serenitatis clementiam rogando moneamus, & exhortamur attentius, quatenus exemplo Zachari, de quo legitur in euangelio: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si aliquem defraudauit, reddo quadruplum:* prædicto archiepiscopo, & ecclesiæ suæ ablata restituere, damna & detrimenta, quæ illis intulisti, in breui studeas emendare, ut in eo quod deliquisti Deum sic possis placare, & nos tibi tantam offensam digne indulgere possimus, & idem archiepiscopus ad obsequium, & deuotionem tuam, ad augmentum honoris tui, & heredum tuorum debeat promptissimus inue-

*Concil. Tom. 27.*

PP

niri. Volentibus autem inter te & ipsum pacem reformari, benigno favore acquiescas. Quos vero huius diffensionis noueris hactenus fuisse incentores, de cetero non exaudias. Nihilominus & filium tuum super articulo iuramenti, quod prætermisit, de seruando iure & libertate Cantuariensis ecclesiæ, secundum quod reges & principes Angliæ fecisse noscuntur, eidem archiepiscopo & ecclesiæ suæ condigne satisfacere moneas, & horteris, & quod prætermisum est facias adimplere. Ordinationes quoque ecclesiarum, & alia, quæ ad viros ecclesiasticos pertinent, prædicto archiepiscopo, & aliis viris ecclesiasticis, tam tu quam filius tuus libere & pacifice relinquatis: vt sic agendo hostiam laudis Domino digne immolare possitis, & vobis regnum comparare æternum.

## EPISTOLA XLII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD BITVRICENSEM ARCHIEPISCOPVM,  
ET NIVERNENSEM EPISCOPVM.

Vt ipsi Londoniensem & Saresberiensem episcopos  
a Thoma excommunicatos absoluant.

*Alexander seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Bituricensi archiepiscopo, & Niuernensi episcopo, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**F**RATERNITATI vestræ non credimus esse incognitum, qualiter sanctæ recordationis Thomas, quondam Cantuariensis archiepiscopus, de mandato nostro in Londoniensem & Saresberiensem episcopum excommunicationis sententiam promulgauit: quam vtique nos ratam habentes & firmam, eam auctoritate apostolica curauimus confirmare. Quia vero prædicti episcopi senio & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præsentiam nostram venire non possunt, vobis, de quorum prudentia & honestate confidimus, absolutionem eorum, pro qua nuntii Henrici regis Angliæ & eorundem episcoporum apud nos vehementius institerunt, duximus committendam. Ideoque fraternitati ve-